

Ex hac definitione liquet vinculum consanguinitatis, quatenus a natura oritur et, in Jure Canonico, tamquam matrimonii impedimentum dirimens agnoscitur, aequè oriri ex illegitimis et e legitimis natalibus; nec referre utrum uterque an alteruter tantum parens sit communis: haec enim discrimina, quae plurimum in Jure civili attenduntur, omnino sunt praeter ea quae, in hac communiter recepta definitione, ad consanguinitatem inducendam requiruntur.

*Stipes* autem hic intellegitur ea persona a qua consanguinei descendunt et in qua, tamquam prima et una radice, conveniunt. Sic fratres stipitem habent patrem, filii fratrum stipitem habent avum, etc.

Series personarum ab eodem stipite proximo descendentium, vocatur *linea*. Haec autem vel recta est vel transversalis. *Recta* continet personas, quarum altera ab altera originem habet: in ea distingui possunt, relate ad personam de qua quaeritur, ascendentes (pater, avus, proavus, abavus) et descendentes (filius, nepos, pronepos, abnepos). *Transversalis* continet personas quae ab uno communi stipite descendunt, sed una ab altera non procedunt. Haec iterum est aequalis vel inaequalis: aequalis, si ii de quibus agitur aequali graduum numero a communi stipite distant, puta duo fratres vel duo patruels (*cousins germains*); inaequalis, si iidem inaequali graduum numero a communi stipite distant, puta avunculus et neptis, siquidem avunculus uno gradu, neptis duobus gradibus a communi avo distat.

*Gradus* est distantia in eadem *linea* intercedens inter personas, de quarum remotiori vel propinquiori consanguinitate quaeritur.

**Regulae ad computandos gradus consanguinitatis**, ex Jure Canonico, sunt sequentes:

1<sup>o</sup> In linea recta tot sunt gradus quot sunt personae, una dempta, scil. stipite, seu quot sunt generationes. Sic pater et filius sunt consanguinei in primo gradu, nepos et avus in secundo, etc.

2<sup>o</sup> In linea transversa aequali, tot sunt gradus quot sunt personae in una parte, stipite dempto seu quot sunt, in eadem parte, generationes. Unde frater et soror sunt in primo gradu lineae transversae, patruels et consobrini in secundo, filii eorundem in tertio, etc.


3<sup>o</sup> In linea transversa inaequali, tot sunt gradus quot sunt in parte longiori vel generationes, vel personae, stipite dempto: gradus enim remotior ad se trahit propinquiorem. Quare patruus et neptis, filius et soror patris, sunt consanguinei in secundo gradu, quamquam patruus et amita uno tantum gradu a communi stipite distant.

Qua ratione Jus civile gradus consanguinitatis computet, dictum est Vol. I. n. 667, II.

478. Consanguinitas potest esse **multiplex**: quod sub poena nullita-


tis in libello petendae dispensationis exprimendum erit. (n. 527) Attende tamen non multiplicari consanguinitatem ex eo quod consanguinei ex eodem patre eademque matre oriuntur: pater enim et mater se habent ad instar unius stipitis. Tres causas multiplicis cognationis AA. (Feye, n. 357; De Becker, p. 175 seqq.) proponunt:

Prima causa est quod quis prolem habet e persona sibi consanguinea. Exemplo sit:



Nempe Marcus Annam sibi in tertio gradu consanguineam duxit et ex ea filium Josephum suscepit. Is igitur erit consanguineus Sophiae in duplici gradu quarto lineae transversalis, quia duplici via a communi stipite Petro descendit.

Altera causa est quod personae inter se consanguineae prolem e personis pariter inter se consanguineis procreant. Exemplum sit:




Nempe duo fratres Cyprianus et Fabianus ducunt duas sorores: Caeciliam et Bibianam. Igitur eorum descendentes duplici vinculo cognationis conjunguntur, quia duplicem stipitem communem habent. Sic Eusebius et Martina in tertio gradu, Clemens et Anna in quarto gradu collateraliter aequali dupliciter conjunguntur.

Huc spectat dubium quod 11 Martii 1896 solvit S. Officium. Nempe quandoque contingit conjungi cum dispensatione sponso in secundo gradu consanguinitatis devinctos, eorum vero sobolem, post secundam

generationem, iterum nuptias in eodem gradu prohibitas appetere. In hoc casu triplex haberi impedimentum, necessario in libello supplici exprimendum, respondit S. Off. Nempe, praeter impedimentum secundi gradus aequalis, habetur duplex impedimentum quarti gradus aequalis, eo quod duplici diversa via a communi stipite remotiore descendunt: unum, dum sponsi linea per avum, et linea sponsae per aviam usque ad communem stipitem quarti gradus protenditur; alterum, dum, inversa ratione, ad eundem gradus quarti stipitem ducitur linea sponsi per aviam, et per avum linea sponsae. Attamen, ut 22 Febr. 1899, declaravit S. Off., si quando in hoc casu petita et indulta esset dispensatio tantum super duplici impedimento, quia putabatur in tali casu adesse tantum unicum impedimentum quarti gradus, valet dispensatio, dummodo casus exponatur uti est, non obstante errore materiali in computatione impedimentorum. Quae regula profecto et aliis casibus applicari poterit, in quibus dispensatio data fuerit, expositis omnibus vinculis consanguinitatis vel affinitatis, sed ex errore existimatum sit pauciora esse quam reapse sint.

Tertia causa est quod quis prolem habet e pluribus personis inter se consanguineis. Exemplum sit:



Nempe Casimirus successive duxit duas sorores Theresiam et Praxedem, et ex eis suscepit Thomam et Leonem. Illorum igitur descendentes erunt dupliciter consanguinei, ex. gr. Gregorius et Margarita in quarto gradu lineae transversalis aequalis e stipite Francisco, et in tertio gradu ejusdem lineae e stipite Casimiro.

Ad detegendum autem num et quale impedimentum consanguinitatis inter duos nupturientes vigeat, commodior ratio videtur ut, super utriusque nomen, scribantur nomina patris et matris, avi et aviae, etc. usque ad quartum gradum. Si inter utriusque ascendentes sic in tabella descriptos, nullus reperiatur communis stipes, certum erit nullam inter eos intercedere cognationem.

**479. ASSERTA I.** In linea recta consanguinitas matrimonium dirimit indefinite in quolibet gradu. (Nicolai I resp. ad Bulgaros. c. 39)

Hoc impedimentum dirimens certo oritur ex ipso jure naturae in primo gradu lineae rectae. Deus enim non est censendus dedisse homini potestatem transferendi jus in corpus suum ad partem quae eo uti nequeat sine summo dedecore: quod sane obtineret in matrimonio inter patrem et filiam, vel matrem et filium, cum perfecta aequalitas conjugum quoad debitum repugnet reverentiae quam ipsa natura liberos erga parentes servare jubet. De reliquis vero gradibus disputatur: nec desunt magni nominis AA. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 14 n. 31) qui opinentur matrimonium, spectato solo jure naturae, non dirimi ultra primum gradum.

**II. In linea transversali** consanguinitas matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. Ita statuit Innoc. III. (Deer. l. 4. t. 14. c. 8), sublato impedimento quod e Jure antiquiori etiam ulterius protendebatur. Gregorius autem IX (l. c. c. 9) declaravit nullo jam impedimento detineri nupturientes si vir quarto gradu et mulier quinto a communi stipite distant. (1) Si solum jus naturae spectamus, consanguinitas in linea transversali non dirimit matrimonium ultra primum gradum; immo primo gradu dirimi negant multi cum S. Th. (2. 2. q. 154. a. 9), tum quia hic non obstat conjugali aequalitati stricta reverentia quam ascendentibus debent descendentes, tum quia per matrimonia inter fratres et sorores propagari coepit humanum genus.

**III. Matrimonia ab infidelibus consanguineis contracta** certo nulla sunt in primo gradu lineae rectae: probabilius quoque si leges patriae ea in ulterioribus gradibus irritant. (n. 467) Juxta constantem Sedis Ap. praxim, frater et soror matrimonio juncti, si ad fidem conver-

(1) Rationes ob quas Ecclesia impedimenta dirimentia ultra prohibitiones juris naturalis provexit, imprimis ex ordine morali desumptae sunt (Schmalzgr. l. c. n. 53): Vid. 1<sup>o</sup> Actus conjugalis plurimum adversatur honorificentiae quam cognati sibi invicem ob originem ab eodem stipite debent. (2. 2. q. 154. a. 9) — 2<sup>o</sup> Sublata spe matrimonii, efficacius removentur pericula incontinentiae quae e frequenti consanguineorum consortio oriuntur. — 3<sup>o</sup> Prohibita sunt conubia inter consanguineos "quo supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet." (Leonis XIII Encycl. *Arcanum*) Sic etiam vitata fuisse plurima mala quae in physicam hominis constitutionem nonnumquam e nuptiis inter consanguineos dimanant, testantur peritissimi medici, ut D<sup>r</sup> Lefebvre. (Les mariages consanguins, *Revue des Questions scientifiques*, 1877) Attamen, ut notat Feye (n. 365) non pauci hodie merito optant quarti gradus abrogationem, praesertim propter difficultatem illum investigandi: ut enim constet eum deficere, pro utraque parte triginta ascendentes recensendi sunt.

tantur, separandi **sunt**. Iidem novum matrimonium inire posse videntur. Nam, cum **saltem** probabile sit eorum matrimonium esse nullum, applicari potest **regula** quam pluries S. Inqu. proposuit, ex. gr. 18 Maii 1892 in resp. ad **Vic.** Ap. Zangueb. (Coll. P. F. n. 2184) : si, examinato casu particulari, **supersit** dubium, stet pro nullitate matrimonii in favorem fidei. (De **Becker**; p. 181) Idem dicendum foret de conjunctis in ulterioribus gradibus lineae rectae. Tandem in secundo et ulterioribus gradibus lineae **transversalis** conjuncti habendi sunt ut legitimi conjuges.

#### V. IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

**480. NOTIONES.** Affinitas est propinquitus personarum, orta ex copula carnali, sive **licita**, sive **illicita**.

Propinquitus ista est quid **naturale**, consanguinitatis instar, minime vero quid mere **juridicum**; nititur enim naturali conjunctione viri et feminae, ad carnis **propagationem** ordinata. Requiritur autem copula ex se apta ad **generationem** prolis; eadem sufficit, etiamsi proles nulla concipiatur, puta **ob** mulieris sterilitatem. (n. 456) Itaque nulla oritur affinitas e copula **sodomitica**, vel in qua semen extra vas profunditur, nisi forte (ut **quandoque** contingit) semen nihilominus ad uterum mulieris pervenerit et **proli** ortum dederit. Verum hodie ad contrahendam affinitatem jam **non** est requirendum, cum veteribus, ut femina semina-verit: siquidem **jam** constat effusionem humoris apud feminas nullatenus requiri ad **fecundationem**. (Vol. I. n. 387, II) Praesumitur autem, in utroque foro, **copulam**, quae certo habita fuerit, etiam fuisse aptam ad generationem, nisi **de** opposito constet: quia judicandum est ex ordinarie contingentibus.

E praedicta **copula** oritur affinitas inter singulas personas coeuntes et consanguineos **alterius** quacum coitum est. In affinitate distinguuntur stipes, lineae et **gradus**, seu aequales, seu inaequales, sicut de consanguinitate dictum **est**. (n. 477) *Stipes* hic vocantur personae copulam habentes: quae **proprie** non sunt affines, sed quasi principium affinitatis. In iisdem autem **linea** et **gradu** dicitur aliquis affinis unius partis in quibus est consanguineus alterius. Ita consanguinei mariti in primo gradu lineae rectae **vel** transversalis, affines sunt uxoris in primo ejusdem lineae gradu. **Si** distantia ad communem stipitem affinitatis esset **inaequalis**, **gradus** remotior iterum ad se traheret propinquiorem. Hinc scienti quomodo **computandi** sint gradus consanguinitatis, nullum erit negotium **determinare** gradus affinitatis.

Affinitas perinde **ac** consanguinitas **multiplicari** potest. Vid. *a*) e copula habita cum pluribus **comparti** consanguineis; — *b*) e copula habita cum

persona quae comparti esset multipliciter consanguinea; — *c*) si utraque pars copulam habuit cum persona comparti consanguinea; — *d*) si cum eadem persona comparti consanguinea habita fuit copula tum licita, tum illicita seu antematrimonialis. Haec tamen ultima causa multiplicati vinculi non est necessario exprimenda in supplicatione dispensationis super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus collateralis lineae. (S. Poenit. 20 Mart. 1842: Coll. P. F. n. 1482)

Quandoque affinitas matrimonio jam contracto supervenit, vid. si alter conjugum rem cum alterius consanguineo habet. Manifestum est eam tunc non irritare matrimonium. Quid autem operetur, dicemus asserto IV.

**481. ASSERTA. I.** In **linea recta** affinitas matrimonium dirimit probabilius in indefinitum. Alii vero censent eam dirimere tantum ad quartum gradum, si oritur e copula licita, et ad secundum, si oritur e copula illicita, ut statim dicetur de linea transversali. Nihil refert ad praxim.

Probabilius affinitas, etiam in primo gradu lineae rectae e legitimo matrimonio oriunda, **jure tantum positivo** matrimonium dirimit. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 14. n. 103) Huic opinioni ipsa S. Sedes adhaerere videtur, dum universaliter pronuntiat "affinitatem quae in infidelitate naturaliter contrahitur e copula tum licita, tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur." (S. Inqu. 26 Aug. 1891; Coll. P. F. n. 1247) Idem moraliter certum est de eadem affinitate e copula illicita: quippe quae minus validum vinculum inducit, utpote carens vitae communis societate.

**II.** In **linea transversali** affinitas e copula licita matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive, non ultra, ut statuit Innoc. III (Decr. l. 4. t. 14. c. 8); si vero ex fornicatione oritur, usque ad secundum gradum tantum. (Trid. Sess. 24. de ref. Matr. c. 4)

Haec impedimenta **juris tantum positivi** esse, satis constat vel ex iis dispensationibus quae crebro in iis conceduntur. Attamen, cum vinculum ipsum sit naturale, merito S. Inqu. declaravit affinitatem in infidelitate contractam "evadere impedimentum pro matrimoniis quae ineuntur post baptismum." (resp. cit. ad Assert. I) Atque in eundem sensum respondit S. Inqu. 14 Dec. 1898. Cfr. Decr. l. 4. t. 19. c. 9. Quare relinquenda est opinio Sanchezii (De Matr. l. 7. disp. 65. n. 9) et aliorum censentium tale vinculum inter infideles non oriri e copula illicita. Quodsi pars fidelis, praevia dispensatione super impedimento disparitatis cultus, duxit partem infidelem quacum naturalem affinitatem habeat, matrimonium valet: Ecclesia enim simul intellegitur dispensasse

ab iis impedimentis a quibus exempta est pars infidelis. (S. Inq. 16 Sept. 1824; Coll. P. F. n. 1235) Excipe tamen, si ageretur de affinitate primi gradus lineae rectae e copula licita; in quo Ecclesia numquam dispensat.

De extensione impedimenti affinitatis quae e matrimonii invalidi consummatione orta sit, plurimum discrepant Theologi. Quidam, ut Gousset, *Gury* etc., impedimentum illud semper ad secundum gradum restringunt, quia Trid. (l. c.) illud ad hunc gradum restrinxit ubi affinitas oritur e fornicatione; in casu autem semper habetur fornicatio, quamquam mere materialis, si bona fide utriusque partis consummatio facta est. Alii (ut Feye, n. 378) illud semper usque ad quartum gradum extendendum putant: quia decretum Trid. est correctivum juris praeesistentis, ac proinde strictae interpretationis. Jamvero fornicationis nomen stricte non applicatur nisi copulae quae fiat extra omnem matrimonii figuram. Allegant quoque causam Brixien. 2 Dec. 1667, in qua S. C. C. declaravit virum cujus matrimonium declaratum fuerat irritum propter consanguinitatem, non posse ducere consanguineam putatae uxoris suae in tertio gradu, quia obstabant impedimenta publicae honestatis et affinitatis. Alii (ut Rosset, t. III. n. 1930 seqq.) censent impedimentum certo extendi ad quartum gradum ubi matrimonium nullo bona utriusque fide consummatum est, ad secundum tantum, saltem probabiliter, ubi mala alterutrius vel utriusque fide consummatum est, quia sic habetur formalis fornicatio. Practice putamus ubi de matrimonio ineundo agitur, non esse in rigore petendam dispensationem ultra secundum gradum (nisi eam postulet impedimentum honestatis publicae) quia adest dubium juris (n. 469. VI); si vero ageretur de contracto jam matrimonio dissolvendo, recurrendum esse ad S. Sedem, cum praesumendum sit validum.

At satis certum censemus, quamquam aliqui Canonistae id negarunt, impedimentum affinitatis ortae e consummatione matrimonii mere civilis, ubi viget decretum *Tametsi*, restringi ad secundum gradum (Gasp. l. n. 698; Rosset, n. 1933) sequidem tale matrimonium inter fideles nihil aliud est nisi turpis concubinitas. (n. 508. I)

**482. III.** Affinitatem quae, sub antiquo Jure, saepe ex affinitate nascebatur, sustulit Innoc. III. (Decr. l. 4. t. 14. c. 8) Quare hodie axiomatis instar receptum est: *Affinitas non parit affinitatem*. Igitur si de duobus nupturientibus inquiritur num affinitate ligentur, ante omnia inquirendum est num saltem alteruter cum alterius consanguineo rem habuerit: nam, si constat id a neutro factum esse, palam fit nullam inter eos intercedere affinitatem. Hinc:

1° Potest quis ducere affinem fratris sui etiam in primo gradu, ex. gr.

duo fratres possunt ducere duas sorores, immo pater et filius possunt ducere matrem et filiam. (Bus. ap. S. Alph. n. 1069) Sic etiam resolvit S. C. C. 8 Mart. 1721 (Bened. XIV, Quaes. can. 166) posse vitricum (*mari de la mère*) ducere in matrimonium mulierem quae fuit uxor sui privigni (*filis du premier lit*).

2° Titius potest successive ducere Titiam et Bertham, quae fuerunt uxores Caii et Sempronii fratrum.

3° Titius qui duxerat sororem Caii, potest, post mortem Caii ejusque sororis, ducere Bertham uxorem Caii (Bus. l. c.)

**IV. Affinitas matrimonio superveniens** privat partem ream jure petendi debitum. (Decr. l. 4. t. 13. c. 1.) Haec poena tamen, perinde atque impedimentum ex copula illicita, non incurritur nisi peccetur cum consanguineis alterius partis in primo vel secundo gradu. Insuper manet obligatio reddendi debitum quod petat pars innocens: ne haec ob alterius culpam detrimentum patiat. Probabile quoque est manere jus petendi actus imperfectos, cum prohibitio sit stricte interpretanda: quamquam ab iis abstinere saepe jubebit lex naturalis ob periculum consummandae copulae vel pollutionis. (S. Alph. n. 933) Ad hanc poenam incurrandam requiruntur praecipue sequentes condiciones:

1° Ut delinquens *scienter incestum committat*, ideoque sciat se peccare cum alterius partis consanguinea; immo necesse videtur ut poenam a lege ecclesiastica statutam norit, cum poenae extraordinariae ab ignorantibus non incurrantur. (S. Alph. n. 1073 seqq.)

2° Ut incestus sit *voluntarius*: secus enim, deficiente culpa, nec poena incurritur. Sic ab ea prorsus excusatur mulier quae a consanguineo viri per vim cognoscatur. (Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 13. n. 20) Idem probabilius dicendum de muliere quae, metu gravi impulsa, idem scelus admiserit: metus enim gravis excusat a transgressione legis ecclesiasticae, ac proinde a poena quam Ecclesia adnexuit violationi legis naturalis. (S. Alph. p. 1071)

Ex his condicionibus liquet raro hanc poenam a fidelibus incurri. Si quis tamen eam incurrisset, tum episcopi, tum Regulares, quibus haec facultas a suis Superioribus communicata fuerit, possunt ei jus petendi debitum restituere. (S. Alph. n. 1076)

#### VI. IMPEDIMENTUM PUBLICAE HONESTATIS.

**483. I.** Impedimentum publicae honestatis definiri potest: quaedam quasi-affinitas per conjunctionem, non corporum, sed animorum, orta e sponsalibus vel matrimonio rato, et obstans matrimonio utriusque sponsi cum alterius consanguineis. Vinculum istud solo jure positivo inductum